UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 14. Tam ardens fuit eius charitas, vt velut Phœnix exarserit, fuitque humilitas eius profunda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

Paradiſum, ſed in aliam terram, quam monſtrauero tibi: *Egredere de terra tua &c. & veni in terram quam monſtrauero tibi.* Hoc egredi in Dei eiuſque gloriæ defenſionem, quando totus illi mundus aduerſatur, opus eſt heroicum & ſpem fundat talem quâ nulla ſolidior. Hæc confeſſio & Deo conſtans obſequium quando nullam quis patitur contradictionem, nec quidquam ſui diſcrimini exponit, à multis perficitur: etenim etiam de ſceleratioribus peccatoribus, quibus ſpes modica affulget pſallit vates Regius: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*, porro Deo ſeruire, eius honorem tueri ſaluum, quando ea de cauſa periculo ſubjiciuntur opes, propria commoda, imo & ipſa vita, hoc magnum & inſigne ducimus: nam idcirco eximia martyrum ſpes fuiſſe prædicatur. Ita nunc, dum Chriſtus in eum reiectus pendet vitæ ſtatum, in quo totum mundum patitur conuitiatorem, eumque timore proſtratus proprius negat Apoſtolus, aliosque metus in diuerſa rapuit, libera & altiſona cum voce confiteri ſæuiſſimis licet adſtantibus eius inimicis, hoc fidei tantum opus quis digne verbis explicet?

Gen.12.1

Pſ.48.19.

§. 14. *Tam ardens fuit eius charitas, vt velut Phœnix exarſerit, fuitque humilitas eius profunda.*

37 QVartò: charitate & amore in Chriſtum feruet perfectiſſimo, eoque tanto vt vitæ ſuæ prodigus, tormenta non formidet, non arceatur doloribus, non inimicorum factione terreatur, nec denique acclamationibus eorum & improperiis ab amore Chriſti deferreat, quo minus ſe ſeruum eius oſtendat fidelem, & confeſſorem admirabilem, vt hoc ſibi poſſit arrogare: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* D. Auguſtin. *a* exponit hoc quod dixit D. Cyprian. *b* & indicauit D. Hier. *c* Latronem hunc in numero Martyrum verè recenſendum; nam tanta fuit eius charitas, tantuſque amor, vt crucem quam perferebat, fidei ſuæ materiam effecerit: quamuis enim ſupponit condignum culpis ſuis eſſe ſupplicium, optat nihilominus, vt acceptetur in teſtimonium eius quod confitetur, omnemque ſuam offert vitam, & quidquid poteſt Chriſti conſecrat dicatque famulatui: *Si pœna cœperas in Latrone*, ſic teſtatur D. Aug. *nouo genere conſummatur in Martyre*: & dicere poteſt cum D. Paulo: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an periculum, an gladius: Certus ſum: quia neque mors, neque vita &c.* Quod ſi ab illo ſciſciteris, vnde tibi feruet charitas & tanta charitas? Reſpondebit cum Apoſtolo: *In iis omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos.*

Cant.8.7.

Ser.120 de temp. Tom.10.

Rom.8.35.

Ser.44. de S.Latrone.

Aduertit acutè D. Ambr. Latronem hunc accuratè intellexiſſe quod SS. perpendunt, quando coram Chriſto crucifixo conſtituti mentis aciem intendunt in conſideratione eius quod Dominus ille paſſus eſt, non in ſui delicti pœnam, ſed pro peccatis aliorum, & cognoſcunt vulnera illa, plagas & cruciatus, quos in illo meditantur non illius eſſe ſed ſuos, quia pro ſceleribus illorum hos paſſus eſt: ex hac conſideratione feruens in eorum cordibus amoris ignis accenditur, quo viſcera ardentiùs aduruntur vt tormenta iam ſitiant pro eo perferre quem tanta pro eorum redemptione pertuliſſe cognoſcunt. Phœnici congruenter comparantur: etenim faſciculum colligens lignorum ſuaue fragrantium ſolis ardoribus exponit cuius calore radiorum inceditur, flammaſque alis ſuis quaſi quibuſdam follibus excitat, & prouocat vehementiùs, quò fit vt omnino in cineres redigatur, & tandem denuo renouetur. Vtinam te videam Phœnicem, vt ligna hæc aromatica colligens plagarum, tormentorum, dolorumque Chriſti coram eo conſiſtens, illa attentè perpenderes, quantus in te amoris ignis accenderetur! Vtinam alis intellectus tui ac voluntatis, has flammas ardentius excitares, eum imitatus qui dicebat: *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Pſ.38.4.

I. Charitas Latronis ex conſideratione Paſſionis Chriſti.

Hoc in Latrone factum ſuſpicimus. Teſtem profero D. Ambr. *Intellexit quod pro peccatis alienis has plagas ſuſciperet, pro alienis peccatis hæc vulnera ſuſtineret:* (ea namque de cauſa ait: *Nos digna factis recipimus, hic nihil mali geſſit*) *& ſciuit quod illa in corpore Chriſti vulnera non eſſent Chriſti vulnera, ſed Latronis: atque ideo plus amare cœpit, poſtquam in corpore ejus ſua vulnera recognouit.* Cognouit quod Chriſti non erant vulnera, cum innocens eſſet, ſed ſua vtpote Latronis nocentiſſimi. O quàm aptè, atque ex toto corde diceret conuerſus ad Patrem quod aliàs à Dauide dictum expendimus, dum vidit, cum ipſe reus eſſet, gladium Angeli percutientis populum innoxium: *Ego ſum qui peccaui, ego inique egi, conuertatur obſecro manus tua aduerſum me &c.* Cognouit Latro, ait præfatus Doctor verba Iſaiæ: *Infirmitates noſtras ipſe portauit, & pro nobis* 38

dolet. Cognouit hic Latro omnem Dei paſſionem ex ipſius fieri voluntate, & in poteſtate ejus eſſe, vel morti animam tradere, vel ad vitam reuocare &c.

II. Humilitas exponitur Latronis.

Quid plura? humilitate fuit in ſummo gradu profundiſſimus: cum ita diſtinctè ſua cognoſcat flagitia, vt publicè proteſtetur mille cruces eis diluendis eſſe modicas, tantumque ſe recipiendis indicat beneficiis indignum, vt non niſi ſimplicem depoſcat ſui memoriam: *Memento mei.* quaſi diceret. Non à te, potentiſſime Domine, regnum expoſtulo cœlorum, quod pauperibus ſpiritu pollicitus es: cum tanto flagrauerim habendi cupiditate, vt ad aliena manum fur extenderim. Non quæro terræ ſempiternæ poſſeſſionem, quam mitibus addixiſti: quandoquidem ſeditioſus fuerim pacisque publicæ perturbator: non menſæ tuæ conuiuam aſſidere, quod amicis tuis promiſiſti: quoniam tantus tibi fuerim inimicus per ſcelera mea vt non niſi in flammas merear conjici ſempiternas. Non à te mendico vel micam de menſa tua cum muliere Chananæa ſed tantum hoc, vt oculos tuos ad me dirigas & me vel ſemel aſpicias dum regnaturus adueneris. O Latro ſanctiſſime, quam perfectum te in omnibus ſtupeo virtutibus, quamamque terram breuiſſimo percurreris ſpatio: at qui fieri potuit hoc? Placita enim fuit anima eius. Sic Deo, ſic diuinæ placuit miſericordiæ, tantum tibi impertiri beneficium. Pſallito cum Propheta regio: *Saluum me fecit quoniam voluit me.* O cœlorum Domine, *Memento mei,* video te ſummum Pontificem miſſam celebrantem ex qua mundi pendet inſtauratio, Memento facis pro cunctis peccatoribus, ne me precor, ex eorum ſecludas numero: cum te diligam, te confitear, te prædicem, tibi vitam meam animamq; conſecrem, nec non me totum & per omnia ſeruum offeram fideliſſimum.

Pſ. 17, 20.

§. 15. Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo. *Oſtendit ſe Chriſtus Deum ex eo quo probat ſolem non eſſe Deum & verbum Iſaiæ abbreuiatum, & ab Apoſtolo prædicatum.*

Diuinos ſuos Chriſtus oculos ad illum conuertit, & vultu intuetur amico, benigno
39 & affabili, atque illi: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiſo.* Serue mi fideliſſime, integerrime, & honoris mei propugnator acerrime, comes vrbaniſſime, & amice chariſſime, quid ſolam à me poſcis tui memoriam? Per metipſum juraui, non hic occidet tibi dies, quin me videas, & te mecum videam in paradiſo. Verbum meum tibi oppignoro, quod vbicumque ego fuerim, tu quoque ſis futurus, & quocumque iero, ibis & tu, & hodie mecum eris in paradiſo, & ſtatu gloriæ ſummæque beatitudinis. Noluit Chriſtus ſi D. Cypria[illegible] dimus ex hac vita migrare, quin prius ſanguinis ſui effuſi videret effectum, & ita declarat illud: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me,* q. d. quod omni fuerim auxilio deſtitutus, [illegible] talem paterer mortem in hominum hoc vergebat redemptionem: ſi hæc non haberet effectum, *Vt quid?* vt quid hæc paſſio? fructus eius [illegible] omnium pateat oculis vberior. Duo nobis beneficia, (teſte D. Chryſ.) Chriſtus in ſua paſſione contulit. Primum nobis portas aperuit cœli, quæ clauſæ ne quidem intimis eius [illegible] militaribus. Aperta eſt per mortem eius [illegible] tam hoc ſignabat diſruptio veli templi in duas partes à ſummo vsque deorſum, vt notat Apoſt. quo clarè patebat omnibus quod prius latebat abſconditum: vt autem de hoc beneficio reddaris ſecurus: addit ſtatim ſecundum jam ad gloriam ſuam Latronem admittens, liberum ei in paradiſum concedens ingreſſum, oſtendens eum ita jam eſſe apertum vt etiam Latrones crucifixi poſſint illum ingredi: *Vno tempore duo beneficia* (ſic notat D. Chryſ.) *videmus eſſe conceſſa: vnum quod paradiſus patefactus eſt: alterum, quod Latronem in eum introduxit.* Ad quid Domine hoc agis? *Volo inquit, vt in cruce omnes poſſint meam inuenire virtutem, vt in ligno mea largitas demonſtretur.*

Satis apertè liquet, quàm bene propoſito ſeruiat, quod noſter Cardina. Caietan. aduertit, rationem aſſignans, cur Deus Moyſi juſſerit, vt Principes idololatras crucifigeret verſis facie[illegible] bus ad ſolem. Refero vobis hiſtoriam. Cum Dei populus per arentia deſerta tenderet in terram Promiſſionis, fines ingreditur Moabitarum quibus imperabat Rex Balac: hic totus timore proſtratus ex prodigiis quæ nouerat à Deo facta ad huius populi protectionem: ſe voluit illis aduerſarium opponere, & tandem non illis robuſtas militum objecit copias (intellexit enim [illegible] quantumuis armis omnibus eſſent inſtructiſſimi, viribuſque fortiſſimi, illis tamen non poſſe reſiſtere) ſed exercitus in campum produxit mulierum, ætate verna, compta que pulchritudine ſpectatiſſimarum, quæ illos lenimentis reciperent & adulationibus aſtutæ delinirent. Hoc vſus eſt ſtratagemate ex conſilio perfidi vatis,

ac-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN